

cum ductili currat & cursibus rapidissimis rotetur, *ἀπὸ τοῦ αἰὸς θεῖον*, cum sit, inquit, illud elementum à quatuor reliquis diversum, tum divinum, tum interitus expers. Unde hodie Philosophi duas præcipuas Mundi constituunt partes, *Elementa & Æthera*, seu Mundum *Elementarem & Æthereum*; Ætheris nomine complectentes, quidquid est supra elementum (sic dictum) Ignem. Alii Ætheris substantiam putant esse aërem infinitum. Alii Æthera simpliciter accipiunt pro aëre, ut *Virgilius*:

— resonatque fragoribus Æther.  
*Apulejo*, quatuor Elementa, Tellus, Aqua, Æther, Ignis vocantur. *Lucretius lib. 1.* Æthera posuit pro Jove. Et hæc brevibus dicta sunt incidenter de Æthere: Nostram sentent. vide *lib. 2. cap. 5.*

De Cœlesti  
Materia.

Ut autem de hoc Philosophi valde dissentiunt, ita quoque in *Cœlorum Materia* seu cœlesti materia, vehementer discrepant. Peripatetici cum *Aristotele* tam octavum seu Stellatum Cœlum, quàm reliquos inferiores, qui Planetis inserviunt, solidos & ex materia densa ac dura impenetrabilique compactos: *Stellas* verò adhuc densiores Cœli partes esse, statuunt. Quam sententiam passim tenent *Patres*, forsan ex illo *Job. 37. vers. 18.* *Tu forsitan cum Deo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ex ære fusi sunt &c.*

An dura?

An fluida?

Alii è contrario, Cœlos seu cœlestem materiam fluidam pronunciant, hoc est, ex materia facile corporibus obviis cedente, instar aëris nostri, qui rebus omnibus est pervius, iisque non nisi parùm resistit, in quamcunque partem tamen cedit & locum dat transeuntibus, & deinde fissas istas partes denuo instar aquæ coire & coalescere facit: Cujus opinionis fuerunt plerique ex antiquis Philosophis, *Pythagoras*, ut & *Plato* in *Timæo*, *Seneca* & alii; quam quoque multi ex Astronomis recentioribus cum *Tychone Brahe* sunt amplexi; Tenuitatem enim ejus probat Cometarum liber transitus &c. Quidam etiam ex antiquis *Patribus* hanc sententiam probabiliorem censuerunt, & *P. Arriaga d. un. de Cœlo,*

*f. 4. no. 53.* dum inquit: *In Cœlo septimo magnitudo est propriè infinita, cujus respectu Saturnus ille affixus, est veluti unicum solummodo punctum: Videtur ergò, parum sapientiæ & rationi consonum, ut ad movendum tantillum sidus, tota illa moles sphaeræ septimæ se moveat; sed præstat dicere, astrum solum in materia fluida, ab Intelligentia moveri, ingens enim illa naturæ solidæ machina ad sideris illius motum planè videtur superflua.*

Præterea de Cœlis eorumque Substantia, Materia, Natura, Forma &c. multæ extant aliæ opiniones, quaestiones & disputationes. *Aristoteles* Cœlum animatum & animâ rationali & intelligente præditum existimavit, *lib. 2. de Cœlo & lib. 2. Meteor.* Item *Pythagoras, Plato* & alii ex antiquis. Imò apud ipsos adeò certum habebatur, ut teste *Augustino lib. 18. de Civit. cap. 41*, *Anaxagoras* reus factus esset apud Athenienses & supplicio affectus, quod Solem non aliquid animatum, sed lapidem ardentem esse dixisset. Idem sentit *Philo Judæus lib. de opificio Mundi, Plin. lib. 2. Nat. hist. cap. 8. & alii.*

*Aristoteles*  
Cœlum censuit animatum.

*Athenienses*  
Solem animatum statuerunt.

Deinde Cœlos esse corruptibiles, Philosophi antiqui, *Plato, Anaxagoras, Democritus* & alii statuerunt; E contrario *Aristoteles lib. 1. de Cœlo c. 3. & lib. 2. cap. 1.* Cœlos non esse ejusdem essentiae cum elementis, sed quintæ cujusdam essentiae, ideoque incorruptibiles docuit.

An Cœli  
sint corruptibiles?

Unde etiam quaeritur, utrum Cœlum generabile vel ingenerabile sit? in qua disputatione videntur antiquiores fuisse discordes, siquidem genitum asseruerunt, teste *Aristotele lib. 1. de Cœlo.* *Xenophanes* autem apud *Plutarchum lib. 2. c. 4.* neque genitum neque interiturum posuit, sed sempiternum. *Plato* ancipitem se representat, *lib. enim 3. de Legib.* Numerum annorum ex quo Mundus extiterit, infinitum asserit: At in *Timæo* genitum à Deo facit, & in 6. definit. ambigit, an semper fuerit Cœlum? an ab inæstimabili tempore? *Aristoteles*, tum ingenitum Cœlum, tum ingenerabile existimat; rationem addit: Quidquid gignitur ac corrumpitur,

Utrum Cœlum sit generabile?